Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 737
Quelle:
Copyright:

319. sed in *Cod. folium* 2. a verbis: *veritati diuinarum scripturarum* usque ad verba *Sed melius ea nolumus quam uolumus*, excidit. Lectio ceteroquin valde conspirat.

II. *fol.* 14. p. 2. praemissis his e L. II. *Retract.* c. 23. verbis: *Nec distuli atque id dei munus et quam magnum. et quanta humilitate custodiendum esset. Uno sicut potui uolumine ostendi; hic liber sic incipit; librum de bono coniugali.* sequitur absque ulla inscriptione *Liber de Sancta Virginitate*, cujus initium modo audivimus. Finis est: *Hymnum dicite et superexaltate eum in secula.* Additur: *Explicit Liber Sancti Augustini De Sancta Uirginitate.* Ut in *Cod.* nostro, ita in *Editis col.* 341. Liber hic praecedentem excipit. Lectio sincera.

III. *fol.* 43. p. 2. *Item Sancti Augustini Incipit Liber ad Julianam De Professione Sanctae Uiduitatis.* Initium epistolare: *Augustinus episcopus seruus christi seruorumque christi. Religiose famule dei iuliane in domino dominorum salutem. Ne petitioni tuae. et in christo dilectioni* &c. Finis: *Perseuerans* (perseveres) *in gratia christi amen.* Sequitur praecedentem etiam in *Editis col.* 369. ubi lectio exactior, quam in *Codice.*

IV. *fol.* 62. *Ad Probam.* Ita inscribitur *Epistola*, quae in *Editis* T. II. ponitur CXXX. *col.* 382. et incipit: *Augustinus episcopus seruus christi seruorumque christi religiose famulae dei probae in domino dominorum salutem. Et petisse te et promisisse me recolens* &c. Ejus finis: *qui potens est facere supra quam petimus et intellegimus.* Lectio *Codicis* proba.

V. *fol.* 76. *Incipit Liber de Agone Christiano.* Praeit hunc Librum totus Locus L. II. *Retract.* c. 3. ubi de eo agit Autor. Initium Libri ipsius: *Corona uictoriae non promittitur nisi certantibus. In diuinis autem scripturis assidue inuenimus.* &c. Finis: *et sarcina eius leuis. coronam uictoriae mereamur.* Legitur *Opp.* T. VI. *col.* 245. a qua lectione vix abit *Codex.*

VI. *fol.* 94. p. 2. *Incipit ad Aurelium* (Carthag.) *Episcopum De Opere Monachorum.* Rursus hic locus e L. II. *Retract.* c. 21. praemittitur, quo causam suscepti laboris *Augustinus* exponit. Neque tamen hic neque superius *Libri Retractationum* citantur. Initium Operis: *Jussioni tuae* (sancte) *frater aureli tanto deuotius obtemperare me oportuit* &c. Deficit in iis *n.* 24. verbis: *sed distinguens ministerium suum. quia ita inter se* &c. Integrum legitur *Opp.* T. VI. *col.* 475. cui probe consonat *Codex*, sed mox sub principium, ubi *Edita* habent: *ad eorum correctionem quid dicendum*, ille offert: *ad eorum correctionem et ad implendum nostri episcopatus officium contra differendum.* Optet Lector.